



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Nonum. Encomium Marianum Decimum. Mater Amabilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

Maxime autem hæc sententia videtur detestanda: quia imponit B. Virgini ignorantiam Prophetarum, qui de Christi morte & cruce locuti sunt frequenter, vel ignorasse quod ipse ejus filius toties de sua morte & cruce prædixisset: Cum ut *Ioannes & Mattheus* testantur B. Virgo conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, ut intelligamus jaculis prævisis minus in morte ejus fuisse percussam. Ad hæc indigna videntur pro incussa tantæ Virginis fide quæ ejus virtutis nomine ab *Elisabeth* præsertim commendatur, & maxime quia in morte filij sui indecorum nihil infidelitatemve sapiens egisse narratur, sed tantum laudatur ejus constantia & imperturbatus animus, qui tam atroci mortis supplicio filium affici potuit spectare: Juxta quod dicitur de ea: *Stabat juxta crucem IESU Mater ejus.* De quibus plura in titulo *Regina Martyrum.*

## CAPUT NONUM.

*Encomium Marianum Decimum.*

## MATER AMABILIS.

**R** Egresso Davide à gloriosissima illa Victoria qua Philistæum Goliathum prostra-

prostraverat ( ut narrat liber Regum primus ) omnemque populum suum Israël ab extremis angustijs liberaverat : tanto in eundem amore exarsit *Jonathas* filius *Saul* Regis ut diligeret eum quasi animam suam. *Et factum est* inquit facer textus cum compleisset *David* loqui ad *Saul* anima *Jonathæ* conglutinata est anima *David* & dilexit eum *Jonathas*, quasi animam suam. Inieruntq; *David* & *Jonathas* fœdus : Diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliavit se *Jonathas* tunica, qua erat indutus & dedit eam *David* & reliqua vestimenta sua usq; ad gladium & arcum suum imo & usque ad baltheum. Nec minori dilectione diligebat *Jonathan* *David* hinc illæ lachrymæ & suspiria audita morte illius : *Doleo super te frater mi Jonathæ decore nimis & amabilis super amorem mulierum : sicut mater unicum amat filium suum ita ego te diligebam.* Magna profecto dilectio & amor: dum autem magnum illum & quodammodo infinitum amorem quo Virginem dulcissimam Matrem suam Deus dilexit ac diligit attendo longè eum video superare amorem *Jonathæ* & *Davidis* ut non immerito de eo quoq; assereretur:

*Dile-*

*Dilexit eam quasi animam suam*: Nam expoliavit se propter eam tunica gloriæ & jucunditatis suæ è cælesti folio paternâ hereditate, omnium Angelorum consortio descendens: Et quid mirum si tantum eam amaverit ametq; etiamnum cum ipsa omni amore sit dignissima MATER AMABILIS merito nuncupata, quemadmodum in sequentibus videbimus.

## §. I.

**I**Nter omnia dona naturæ quibus Deus hominem ornat, vix ullum invenies quod ita hominum omnium ad se alliciat amorem quàm pulchritudo: multum quidem delectat & allicit honestas & decencia morum ad excitandum amorem: magis & efficacius ad eundem excitat & allicit eloquentia, at maxime ad amorem trahit pulchritudo, *Quæ est rei quadam proprietas ex debita proportione consurgens*: Nam & amor nihil est aliud quam desiderium & affectus rerum pulchrarum. Pulchritudo enim est veluti viscus omnium animos ad se trahens, ut non immerito dixerit *Publius Syrus*: *formosa species muta commendatio est*. Non possumus enim amare nisi pulchra. Quod si jam

si jam causam investigare velimus, ob quam cælestis sponus tantopere B. Virginem amaverit & dilexerit, ut non immerito MATER AMABILIS sit appellata: ipsa ejus pulchritudo in causa est, quam totis Canticorum decursibus decantat, & quasi ad vivum describit, incipiens à vertice capitis usque ad plantam pedis: omniaque velut in compendio delineans: *Tota inquit pulchra es amica mea & macula non est in te: Et iterum admirans ejus amabilitatem quam pulchri inquit sunt amores tui Soror mea sponsa, quantò meliores sunt amores tui vino & odor unguentorum tuorum præ cunctis aromatibus? Et iterum: Quam pulchra ait facta es & suavis ô Amor in delicijs?*

Pulchritudo ut observant quidam in tribus potissimum consistit, nimirum in animo, in corporis proportionem & dispositionem, & in eloquentia. Alia enim corporis, alia animi est pulchritudo: *Sicut enim vigor animi (teste August. Hom. 32. sup. Joann.) decorem facit in corpore, sic Deus in anima. Non enim facit corpus ut ametur sed anima: quæ cum emigraverit corpus arefcit. Et quantumvis illa membra pulchra dilexeris sepe-*

sepe-

sepelire tamen fatagis, decor ergo corporis est anima, decor animæ Deus. Utramque hanc pulchritudinem & decorem in sponsa sua observat & deprædicat Sponsus cælestis: *Quam pulchra inquit es amica mea quam pulchra es, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus laret: Hæc jam dicta inquit Dionys. Carth. de nulla personâ tam eminenter & convenienter possunt exponi sicut de Virgine gloriosa, cui sponsus & filius ait: quam pulchra es amica mea quam pulchra es: tanto planè pulchrior ceteris universis quanto in omni gratia virtute, dono, beatitudine, fructu perfectior, quanto purior, innocentior, & ab omni culpa immunior, quanto fonti totius pulchritudinis ac decoris propinquior, utpote vera Mater illius. Immo tam pulchra quod fons ille superpulcherrimus concupivit decorem istius, tamque jucunda & delectabilis fuit super speciosissimo unigenito Patris æterni ad intuendum, ad convivendum, ad diligendum, quod in ea & cum ea præ cunctis commorari & conversari elegit in terris: & sicut ille speciosus formâ præ filiis hominum, sic ista speciosa præ filiabus: ergo & præ filiis hominum post unicum suum filium, cuius oculi columbarum id est maxime columbi-*

ni pu.

ni pudicissimi plenissime custoditi, numquam inordinate aperti, numquam in aliquem indecenter directi aut fixi. Absque eo quod intrinsecus latet. En pulchritudinem interiorem hic commendare incipit sponsus, ac si manifeste vellet dicere: licet pulcherrima sis ô amica mea, quoad exteriorem corporis dispositionem, membrorumq; ordinatissimam proportionem, non tamen minor est pulchritudo tua interior juxta quod testatur Psalmista: *Omni inquit gloria filiae Regis ab intus. Incomprehensibilis etenim sponsus* (prosequitur Dion. Carthus.) *munificentissimus optimus omnipotens Filius incomprehensibiliter secretissime, liberalissime operabatur, radiabat, communicabat se in matre. O quis queat excogitare vel capere qualiter verbum illud æternum quod suo claro intuitu Angelos sanctos felicitat mentem suæ dilectissimæ, capacissimæ ac innocentissimæ Matris assidue visitavit quam copiosissime omnia interiora ejus illuminavit, quam calidissime inflammavit ipsius affectum, quàm miro & ineffabili modo fidelissimam & affectuosissimam suam genitricem corroboravit, ornavit, perfecit, implevit, totaliterq; possedit? quidquid de perfectione raptus*

¶

& extasis, quidquid de prelibatione & participatione futura beatitudinis fuit in alijs, multo eminentius in ea creditur extitisse. Et si quidam Sanctorum creduntur Deum in hac vita vidisse per speciem, cur non potius atque limpidius & forsitan frequentius ac diuturnius ipsa? nonne charitas communicat se & ostendit se personæ singulariter familiarissimæque dilectæ. Hoc ergo latuit in virgine summa intrinsecus quæ utique cum fervore, devotione, puritate & stabilitate soli Deo nota & sibi vacavit, inhaesit intenta immersaque fuit: cujus interior incomparanda sinceritas, tranquillitas, sapientia, virtuositas resplenduit in vultu ipsius, eamque gratissimam, venustissimam & compositissimam fecit in omnibus.

## §. 2.

**M**irabiles omnino esse amantium ad invicem affectus & effectus tam clarum est ab experientia, ut probari non sit necesse, proinde non immerito dixit quidam: Amens fit omnis amans: eamque ob causam Cupido amoris Deus oculis obvelatis depingi consuevit, ad insinuandum amorem cæcare hominem, ut quid agat nesciat: Et ut hujus habeamus exemplum videre



dece mihi quæso adolescentem alicujus  
 puellæ, aut Virginis irretitum amore,  
 quid quæso talis non facit ut optatis ali-  
 quando potiatur amoribus, quæ pericula  
 non subit quoties etiam morti se non ex-  
 ponit? *Leander* illustris ex *Abydo* juvenis (ut  
 ex *Ovidio* refert *Drexelius*) quanta non est  
 aggressus? Nam ut amoribus indulgeret  
 Hellespontum mare sæpius tranavit non  
 sine certo vite periculo. Fuit ut furibundū  
 mare transitum omnem negaret, tunc ju-  
 venis moræ impatiens hebdomadam u-  
 nam annale tempus reputans ait:

*Parcite dum propero, mergite dum redeo.*

Et quanta non sustinuit Patriarcha *Ia-  
 cob*, ut cupitis pulcherrimæ *Rachelis* frue-  
 retur amplexibus: Docet hoc ipsum satis  
 ipsa sacra historia & bene notat *Emmanuel  
 thesaurus* inquit

*Magnus ex odio Iacobi labor, major ex amo-  
 re Rachelis: conjugium,*

*Vnam videlicet servitutem, septenni servi-  
 tute mercatur,*

*Bis igitur ut nubat, bis servit*

*Et liberos ut acquirat libertatem amittit.*

N

Jam

Jam vero amorem quo erga B. Matrem suam ferebatur dulcissimus unigenitus dei si consideremus, videtur (si ita loqui liceat) quodammodo extra se factus amore Virg. Matris non habito enim respectu suæ divinitatis & æqualitatis ac consubstantialitatis quam habet cum Patre & Spiritu sancto: ad vilissimam hominis naturam se inclinavit: *Qui cum in forma Dei esset* inquit Apost. *Paulus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit & formam servi accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Et quæ causa tantæ exinanitionis & humiliationis? Audacter dicam non alia quam amor decoris & pulchritudinis suæ delectissimæ matris: Testatur hoc ipsum ipse Virginis filius in canticis exclamans ad eam, *Averte* inquit *oculos tuos à me: quia ipsi me avolare fecerunt: quod propriissime potest accipi dictum à Christo ad suam delectissimam Matrem: (ait Dion. Carth.) ad insinuandum præcordialissimum valdeq; singularem suum amorem ad ipsam: quasi amplius inspiciatur ab ea ferre non queat præ vulneratione amoris: ut intelligatur per modum hyperbolice loquutionis*

nis

*nis amatorijq; sermonis* : Amor ergo ille fuit  
 quo B. Mater ad se traxit unigenitum Dei  
 imo eum quodammodo superavit; hinc  
 præinducta verba alio modo legit, *Rabbi*  
*Abraham* hoc modo: *Averte oculos tuos à me*  
*quia ipsi me avolare fecerunt* id est *quia ipsi*  
*abstulerunt mihi robur* : Pagninus legit *quia*  
*ipsi fortiores me fuerunt* : At vero Greg. Nisse-  
 nus legit in hunc modum *quia ipsi alas addi-*  
*derunt mihi*, : ac si diceret : *Tua pulchritudo*  
*ô Sponsa dulcissima, Mater amantissima tuus a-*  
*mor alas addidit mihi* : Invitavit ut venirem  
 in terras humanamq; naturam assumerem.  
 O *Charitas* exclamat proinde (S. Zeno Ve-  
 ronensis Episcopus) *quæ potens es tu Deum*  
*in hominem commutare potuisti, tu virginali*  
*carcere novem mensibus relegasti.* Et Hugo lib.  
 de charitate *Magnam vim habes ô charitas,*  
*tu sola trahere potuisti Deum de celo ad terram*  
*ô quam forte est vinculum tuum quo Deus li-*  
*gari potuit & homo iniquitatis vincula disru-*  
*pit* : Et iterum *charitas* exclamat *Deum supe-*  
*ravit & adduxit eum vinculis suis alligatum,*  
*adduxit eum sagittis suis vulneratum, ô chari-*  
*tas vulnerasti impassibilem æternum fecisti*  
*mortalem, &c.* Et nonne hoc ipsum testatur

ipſemet Dei filius in canticis: *vulneraſti ex-*  
*clamans cor meū ſoror mea ſponſa: Quo-*  
*modo vulneraſti? nimirum ut bene notat S.*  
*Bernardinus Senenſ. tom. 2. ſerm. 51. artic. 3.*  
*cap. 4. vulneraſti cor meum pro amore tuo car-*  
*nem aſſumpti. Unde omnia à nobis hucusq;*  
*dicta confirmare volens ſuo teſtimonio I-*  
*annes Gerſon forma MARIÆ, ait tā grata fu-*  
*it & tam incredibili formoſitate refulgens in-*  
*venta eſt, ut concupiſceret ipſe formam ſerui.*

§. 3.

**D**Ocent unanimiter Theologi, aman-  
tis voluntatem per amorem, trahi  
extra ſe ad rem amatam: non quaſi revera  
voluntas trahatur extra ſuppoſitum, ſed  
quod omnis ejus actus, omnis affectio om-  
nisque intellectus cogitatio tendat in rem  
amatam ita, ut ubicumque ſit, nil cogitet,  
nil ſpiret quam amorem, & affectionem  
ac appetitum rei quam diligit: in tantum  
ut multi propter amorem ſtulti fiant & in-  
ſanire incipiant, quemadmodum patet in  
*Ammon*, qui ita deperibat amore ſuæ ſoro-  
ris *Thamar*, ut eam ob cauſam totus ma-  
creſceret: Hinc bene dixerunt Philoſo-  
phi & Theologi, *animam magis eſſe ubi amat*  
*quam*

quam ibi animat, eò quod potius censeatur esse anima ubi sunt præcipuæ operationes suarum potentiarum, scilicet intellectus & voluntatis, quam ubi ipsa corpus informat. Amoris autem præcipuus actus est unio amantis cum amato, per quam scilicet ita sibi invicem conjunguntur, ut vix ad momentum ab invicem separari queant amantes. Talis revera nexus, talisq; unio, fuit inter filium Dei amabilemq; matrem ejus: tam enim pulchra & decora fuit MARIA, ut si verbum divinum incarnatũ quod nos redempturum venerat in mundum nõ discessisset aliquando ab ea, procul dubio incarnationis opus distulisset: *Ambrosium* Præsulem Mediolanensem testem appello: *Sic MARIAE pulchritudine inquit ille tenebatur Christus sic illius irretiebatur amore, ut nisi sibi vim inferret ab illa exire nequiret.* De *Judith* vidua totius exercitus Assiriorũ debellatrice & triumphatrice, narrant sacre pagine, tantam fuisse ejus pulchritudinem, ut quotquot eam viderent in amorem ejus exardescerent, in tantum ut etiam totus exercitus Assiriorum assereret, *Non est talis mulier super terram in aspectu pulchritudine*

*tudine & in sensu verborum.* Et quid mirum? licet enim ex se summe pulchra esset, se festivissime & pulcherrimis vestimentis ornasset: insuper adhuc Dominus illi conferebat splendorem quoniam omnis illa pulchritudo, & ornatus, non ex superbia & libidine, sed pietate in patriam proficiscebatur. Magna & mirabilis quoque fuit pulchritudo Matris Dei, utpote quæ ab instanti conceptionis fuit optime proportionata & disposita in membris suis in qua nimirum proportione, ut initio hujus capituli diximus pulchritudo consistit: Id quod bene notat *Dyonis. Carthus.* explanans hæc verba Canticorum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* in hunc modum differens de pulchro ac pulchritudine *Divinus Dionysius tractat subtiliter ac profunde cap. 4. De divinis nominibus divina* inquit *bonitas laudatur in scripturis, ut pulchrum & pulchritudo que effectiva est omnis pulchri. In creaturis autem pulchrum dicitur, quod participat pulchritudinem. Loquentes verò de Deo dicimus quod ipse est substantiale pulchrum & pulchritudo quia pulchrificat existentia omnia secundum propriam singulorum proportionem, & causat*

causat universalem omnium harmoniam & claritatem, & juxta proprietatem solaris radij, immittit cum fulgore universitati rerum pulchrificas sue fontane lucis distributiones. Juxta horum imitationem dicere possumus, quod sacratissima puerpera virgo MARIA est tota pulchra ad intuemdum delectabilissima qua suis meritis, precibus, virtutibus, fama, pulchrificat & decorat millia multa immo totam Ecclesiam, & causat in ipsis fidelibus concordiam lucem & charitatis unitatem, quam fons totius pulchritudinis ex ea natus tantam pulchritudine venusta vit, ut pure creatura major communicari nequeat aut non deceat. Amplius ut ait Philos. ad hoc, quod homo sit corporaliter pulcher, tria requiruntur primo quod sit elegantis staturæ: ideo homines parvi non dicuntur proprie pulchri quamvis valeant dici formosi aut speciosi: secundum est congrua membrorum comproporcionatio & habitudo ad invicem. Tertium est superficies vividi & congruentis coloris: quæ conditiones sicut in filio incarnato, sic & in matre ejus modo proportionato fuerunt ut patet ex dictis & amplius patebit ex dicendis. Quamvis ergo talem pulchritudinem habuerit à

Nativitate B. Virgo, singularem tamen huic sicuti & *Iudithæ* Deus addidit *pulchritudinem*, splendorem, magnificentiam & majestatem, ut quotquot illam viderent se quoddam naturæ prodigium & miraculum videre arbitrarentur: unde & *Dion. Areopagita* dum gratiam illam obtinuit quod eam cernere posset, tanto illius fuit obfuscatus splendore, adeòque accensus, tum in illius decorem cælestem qui ex facie ejus veluti ex sole lucidissimo relucebat, tum in odoris fragrantiam, quam sacræ ejus vestes spirabant, ut præ nimio stupore animo ceciderit, ac nonnihil postmodum ad se reversus dixerit. *Testor Deum qui aderat in virgine nisi me divina docuissent eloquia, hanc Deum verum credidissem, quoniam nulla videri possit major gloria beatorum quam felicitas illa quam ego tunc degustavi*: Huic item *Dionysio* subscribit alter ejusdem nominis *Carthusia*: serm. 3. in feria secunda Paschæ. Vbi asseverare audeat, quod omnia gaudia hujus mundi simul collecta comparari nequeant gaudio quod unusquisq; beatorum habet de B. Virginis *MARIÆ* præsentia & conspectu, quod etiam quibusdam electis & amato-



amatoribus ejusdem Virginis sanctæ datū est in hac vita experiri, quibus ipsa virgo pijsissima visibiliter apparere dignata est.

De *Moyse* Pharaonis Deo, *Israëlitarum* Duce & Antesignano, narrant *Iosephus* in lib. de antiquitatibus Judaicis, sicut & alij *Rabbini* Judæorum, eum dum parvulus esset tantæ fuisse pulchritudinis, ut homines certatim currerent ad videndum eum si quando in publico prodiret: similiter de *Salomone* inter Reges omnes sapientissimo referunt libri Regum, quod vultum ejus desideraret universa terra, ita ut *Regina Saba*, magno comitatu venerit, ad videndum eum, & auscultandam sapientiam illi: faceffant hinc *Moyfes* & *Salomon* cū sua pulchritudine. Ecce plus quā *Moyfes* & *Salomon* hæc virgo pulcherrima, cujus non decorē solum universus mundus sed & ipse Deus concupivit toties exclamans, *Surge prope amica mea, formosa mea, columba mea, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Et manifeste *Bernardus* serm. 2. super missus ita inquit: *Vt igitur que sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura sancta esset corpore accepit donum virginitalis: ut*

esset & mente accepit & humilitatis. His nimirum Virgo Regia ornata gemmis virtutum, geminog<sup>q</sup> mentis pariter & corporis decore præfulgida, specie sua & pulchritudine sua in celestibus cognita cæli civium in se provocavit aspectus, ita ut & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret & celestem nuntium ad se de supernis educeret. Nec minori ferebatur orbis desiderio hanc ipsam cæli Reginam videre cupiens teste magno illo Mart. Christifero Ignatio qui in Epistola quam scripsit ad S. Joann. Evangelistam, dicit: *Magnum fuisse concursum populorum cæli Reginam videre cupientium.* inter quos fuit & ipse Dionysius Arcopagita.

S. 4.

**M**agna fuit gloria Salvatoris nostri in Monte Thabor, coram Discipulis transfigurati: *Resplenduit enim facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* sic & facies Moysi ex consortio sermonis Dei ita illustrata est, ut radios instar solis à se emitteret: in tantum ut non possent filij Israël, & intueri faciem ejus, sed velarent facies suas, si quando cum illo loqui contingebat. Interpretantes & comen-  
tantes

tantes in hunc locum *Ioseph non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: Math. 1. Nicolaus de Lyra, Glossa Hilar. & Orig.* causam hujus investigantes dicunt quod S. Joseph nequiverit intueri faciem B. Virginis, nec oculos suos defigere in splendidū, & magnificum ejus vultum, ob nimium luminis splendorem ex eo relucentem: *quādiu ait Origenes: Beata Virgo habuit in utero suo solem justitiæ, tantus fulgor exibat de facie ejus, ut Ioseph eam agnoscere & discernere non valeret, nec in ejus faciem intendere poterat, donec uterus ejus sit evacuatus. Et S. Epiphanius. Quoties ait Ioseph MARIAM aspiciebat splendorem à facie ejus in modum radij solis exire videbat, sicut à facie Moysis quando de monte Synai descendit, ubi cum Domino locutus fuerat.*

Ex quibus jam dictis facile erit colligere causam ob quam & cur MARIA tanto pere ab omnibus tam peccatoribus, quam justis ametur, nimirum tota *Amabilis est: Unde Mellifluus Bernardus, serm. super verba Apoc. signum magnum: Quid inquit ad MARIAM accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in MARIANIBUS terribile*

ribile tota suavis est omnibus offerens lac & lacteam. Revolve diligentius Evangelica historia seriem universam & si quid forte increpatorium, si quid durum si quod denique signum veltenuis indignationis occurrerit in MARIA de cetero suspectam habeas & accedere verearis. Quod si ut vere sunt, plena omnia magis pietatis & gratia plena mansuetudinis & misericordie qua ad eam pertinent inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordie sinu aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam: Denique tota Trinitas gloriam, filij persona carnis substantiam, ut non sit qui se abscondat à colore ejus. Et sermone panegyrico: O magna inquit o pia o multum amabilis MARIA tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin crees affectum diligentium te, tu nunquam sine dulcedine tibi divinitus insita pie memorie portas ingrederis: In eadem navi cum Ber-

cardo

*nar do navigat Abbas pientissimus Ludovicus  
Blosius Can. vit. spirit. cap. 18. sic inquit:  
Ipsa Regina cali potentissima, ipsa dispensatrix  
gratiarum liberalissima, ipsa omnium fidelium  
mater misericordissima: Tota mitis est, tota se-  
rena, tota suavis, tota benigna, non solum justis  
& perfectis, verum etiam peccatoribus ac de-  
speratis, quos ut ad se ex corde clamare conspe-  
xerit, statim adjuvat suscipit & fovet, & metu-  
endo judici materna fiducia reconciliat: nullum  
aspernatur, nulli se negat omnes consolatur,  
omnibus sinum pietatis aperit & vel te-  
nuiter invocata presto adest. Sua ingenita bo-  
nitate atq; dulcedine saepe eos, qui Deo minus af-  
ficiuntur ad sui cultum blande allicit potenter-  
que excitat: ut per huiusmodi studium prepa-  
rentur ad gratiam, & tandem apti reddantur  
regno caelorum. Talis est, talis à Deo facta est,  
talis nobis data est, ut nemo eam horreat, ne-  
mo refugiat, nemo ad eam accedere trepidet.  
Verba prorsus amabilia & dulcissima quæ  
utinam omnium hominum cordibus inti-  
me insculpantur.*

Amplius ad hanc Virginis amabilita-  
tem ulterius considerandam non incon-  
gruum videtur hic adjungere dulcissimæ  
hujus

hujus ac amabilis Matris speciem, formam  
 & staturam ex *Epiphano* desumptam per  
*Nicephorum Callistum* lib. 2. hist. Ecclesiast.  
 cap. 23. Mores autem formæq; & stature  
 ejus modus talis: inquit *Epiphan.* fuit. *Erat*  
*in rebus omnibus honesta & gravis, pauca ad-*  
*modum eaq; necessaria loquens ad audiendum*  
*facilis, & per quam affabilis, honorem suum &*  
*venerationem omnibus exhibens: Statura me-*  
*diocri, quamvis sint qui eam aliquantulum me-*  
*diocrem longitudinem excessisse dicant. Decen-*  
*ti dicendi libertate adversus homines omnes*  
*usa est: sine usu, sine perturbatione & sine ira-*  
*cundia maxime. Colore fuit triticum referente,*  
*capillo flavo, oculis acribus, subflavas & tan-*  
*quam oleæ colore pupillas in eis habens. Super-*  
*cilia ei erant inflexa & decenter nigra: Nasus*  
*longior, labia florida, & verborum suavitate*  
*plena facies non rotunda & acuta, sed aliquan-*  
*to longior; manus simul & digiti longiores. E-*  
*rat deniq; fastus omnis expers, simplex, mini-*  
*meq; vultum fingens, nihil molliciei secum tra-*  
*hens, sed humilitatem præcellentem colens. Ve-*  
*stimentis quæ ipsa gestavit coloris nativi con-*  
*tenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis*  
*ejus velamentum ostendit. Et ut paucis dicam*

in re-

*in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia.*

Sed si hæc ita se habent inquiet aliquis si tanta fuit hujus dulcissimæ virginis pulchritudo, tanta amabilitas : Quid causæ quod illa ab Evangelistarum nullo describatur, quod tantum de ea apud omnes sit silentium. Respondet ad hanc quæstionem vice nostri *B. Albert. Mag. Comment. super Cant.* postquam enim hujus Bmæ Virginis pulchritudinem, tam interiorem, quam exteriorem graphice depinxisset inquit: quod sicut Bmæ Virginis filius fuit speciosissimus forma præ filiis hominum, ita ipsa pulcherrima inter filias, & filios hominum : habuit enim pulchritudinem quæ potuit esse in mortali corpore ; mox subjungit in hæc verba : *Quod autem Evangelium nihil scribit : de pulchritudine ejus una potest esse causa, quod cum Domina nostra nobis posita sit in exemplum, & in speculum salvos faciendi, non vult eam à talibus laudari, quorum inordinatus appetitus, vel usus fuit multis & est hodie causa pereundi. Alia causa est sicut angeli supremi à donis nobilioribus, laudantur & denominantur, & non ab inferioribus;*  
*quæ*

que tamen in ipsis esse non dubitantur: Ita & B. Virgo donis spiritualibus plenissima, donis gratuitis nobilissima ita occupat animos laudantium, quod bonorum corporalium obliviscuntur: Tamen pro infallibili regula debemus habere, qui eam diligimus quod quidquid unquam bonitatis in aliquo sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam excreverit & per ipsam in eos.

## CAPUT DECIMUM.

*Encomium Marianum Undecimum.*

MATER ADMIRABILIS.

**M**Agnum & ante illa tempora inauditum fuit prodigium Iosue 10. quod ad vocem Iosue sol steterit nec perrexerit more suo ad occasum: Tunc loquutus est Iosue ad Dominum in die qua tradidit amorrhæum in conspectu filiorum Israël: sol contra Gabaon ne movearis & luna contra vallem Ajalon, steteruntque sol & luna, donec ulcisceretur segens de inimicis suis, stetit itaque sol in medio cæli, & non festinavit occubere spatio unius diei. Non fuit ante & postea tam longa dies obediens Domino